ROXANA
TRAGÆDIA,
OLIM
CANTABRIGIÆ,
Acta in COL. TRIN.

Nunc primum in lucem edita,
summáque cum diligentia
ad castigatissimum exemplar comparata.

Cui accesserunt etiam Argumenta.

LONDINI,
Excudebat *R. Badgerus*, impensis
ANDREÆ CROOK, *ad Signum nigri Vrsi in Cœmiterio*
PAULINO. 1632.

GR. III.
PR. MUS.

Drammatis Perſonæ.

Umbra MOLEONTIS.
MORS,
SUSPICIO,
OROMASDES, *Rex.*
ATOSSA, *Regina.*
BESSUS,
ARSACES, *Senator.*
ROXANA, *Moleontis Filia.*
SISIMITHRES, *Puer Roxanæ.*
ARIASPE, *Filia Roxanæ.*
SPITAMERIUS, *Nuncius.*
DAMIANA, *Nobilis Aulica.*
CHORUS, *famularum Reginæ.*

Scena in Bactria.

ROXANA.

ACTUS PRIMUS.

Scena Prima.

ARGUMENTUM.

Execratur Bactriam Moleontis Vmbra *Patriam sui nefandissimam.*

MOLEONTIS VMBRA.

UTrumne noctis ille Tartareus vapor
Obnubit oculorum radiantes orbitas,
Vegetúmque rerum examen errore implicat?

An hoc quod oculis haurio latè meis,
Illa eſt ſceleſta, & execrata Bactria?
Quamvis hebeſcant oris iſta lumina,
Fulvoſque ſolis halitus abhorreant;
At illa perni pupa vindictæ videt;
Et vel per ipſa furva noctis viſcera,
Molemque terræ conſpicetur Bactriam.
Video ſuperba turrium cacumina,
Vrbiſque feſta tempora, (at feſta haud diu)
Agnoſco celſum regiæ faſtigium, (cus.
Nunc hoſtis, olim ſed meum (heu olim) de-
Iam video nimium præſtat Orcum regredi,
Namque orcus hic, & ſi quid Orco ſævius.
Sed mollis, excors, ſtulte quid ſævis dolor?
Satis tibi, ſatis indultum eſt, id nimio eſt nu-
mis;
Vindicta vivax omnibus vivacior,
Nictu coruſci fulminis pernicior,
Et ignis altis rictibus voracior.
Age, quod ſuperſtat, ſaucii animi pabulum
Perpes vorato; luxuriat nimium Iecur, (am;
Vacat dolori, credo iterum hominem indu-
Adhuc furoris vivit humani modus
In corde noſtro, necdum odia perſenſimus,
Quæ ſpectra, Larvas, & malas animas de-
cent: Iras

Iras vigere amorte, non mori ſcient.
Sed verba velitor: Dies hinc deperit
Quam Pluto Furiis indulſerat ultricibus;
Promiſſa ſed quid auxilia nectunt moras,
Quæ deſtinavit Arbiter Stygis mihi?
Gravis ultionis vel leviſſima eſt mora.
Sed quale ſpectrum noſtris ſe oculis ingerit?
Vel quantus illi livor & terror ſubeſt?
Quod ſi tenaci mente mihi conſto ſatis,
Mors eſt: furentes ſenſimus ſemel manus,
Poſtindè nunquam vidimus: vivos amat,
Illis moratur: Mortui nequeunt mori.

ACTUS PRIMUS.

Scena Secunda.

ARGUMENTUM.

Moleontis Vmbra *ſtuprum Piliæ querens, Oromaſdæ vindictæ panas luituro minatur.*

ROXANA.

MORS. MOLEONTIS VMBRA.

MORS. Moleontis Vmbra, si quid
exequendum habes,
Quod nostra leviùs opera
conficiat tibi,
Effare: Morti nemo frustrà supplicat.
Si bilis atra & pervicax iræ sitis,
Quâ totus æstuas satianda sanguine est;
Frustrà invocabis furias, & acerbis moris
Franges doloris impetum: possum brevi
Compendio præstare quod mille ambitus:
Nam bella, morbi, pestis & pejor fames
Mihi ministrant, turba seu Satellitum:
His sævio, & sine his: mihi nam superest
mali
Vis milleformis, seculis incognita;
Semperq; morbi nova propago pullulat,
Pudor Medicorum æternus, ut discant senes.
MOL. Communis ordo est, & necessitas mori,
Quæ lege, fato, & more transigitur suo;
Vindicta non est illa, sed maturitas
Caducæ vitæ, nobisque semper prope:
Non est mori miseria, sed misere mori.

MORS.

MORS. Quis tantus curis pectus insanis agit
Crudelis iræ tam furentis impetus?
Non est origo tenuis: effare hoc mihi:
Morti vacabit semper excidii novas
Audire causas. MOL. Exequar lubentiùs,
Vt fama tanti sceleris, & æternus pudor
Iusto dolore sauciam te concitet
Nostris favere partibus, mixtâ manu
Intorta sic vindicta feriet fortiùs.
Hæc regna, & has arces opulentæ Bactriæ,
Olim Oxyartes frater obtinuit meus:
Quæ regna moriens credidit dextræ meæ,
Dum temperando filius sceptro foret
Par Oromasdes: ille sed moræ impotens,
Regnique sævâ fervidus cupidine,
Præoccupavit tempus, & Gangaridum
Regem petivit; cujus & natam thoris
Despondit, & conflavit ad bellum viros:
Diuque marte pendulo, tandem tamen
Pugnâ potitur, (qualis est belli alea!)
Vitâque me exuit, ut solio, vitâ alterâ:
Sed damna vitæ nec solii gravia forent
(Vtrumque quamvis grave sit) his nisi additum

Natæ

Natæ fuisset dedecus & injuria ;
Quam, ne superbo præda victori foret,
Mali futuri providus, & nunc dati,
(Tam certus Augur rebus in malis timor)
Et sole & orbe nesciis, sylvâ intimâ
Clausi secretam (sed palàm illa est femina
Quam non recondunt castitas, pudor, fides :)
Et in super Dianæ virginem innubam
Turri sacravi ligneâ reconditam,
Vt illa casto flore serviret Deæ,
Illamque tutam ab hoste servaret Dea.
Sed nulla turris, nulla religio satis
Munita, quam non curiositas levis,
Profana vel libido faciat perviam :
Frustra Deos rogavimus, frustra pii ;
Vsus Tyrannis Deos & metus facit,
At sola simplex turba veneratur Deos.
Rex Oromasdes fortè venatu suis
Sociis aberrans, reperit natam meam
Sylvis reclusam, cuique Atossæ conjugis
Maritus esset, ambiit stupro meam
Violare natam ; sed meam natam nego,
Quæ cum Tyranno, & sanguinis nimis sui
Et adultero, & quod leve erat homicidâ patris
Amore, stupro, nuptiis hæsit malis :

Quin

Quin & quod uxor ſterilis abnuit dare,
Dedit Tyranno liberos; fecit patrem
Per quem illa patre caruit, atque illâ pater.
Id nempe ſolum defuit malis meis,
Fecundus hoſti ut eſſem; & ex quâ ſurgeret
Vindicta patris, hoſtis oriretur domus,
Et ſpes ſenectæ & jubar throni regii:
Orbus Tyrannus ne eſſet, ego pater fui:
Felicitatem credidi natam, via
Sola hæc miſeriæ fuerat ad ſummum mali;
Niſi a ſeipſo nemo fit exactè miſer.
Sed impudicam pellicem, matrem malam
Quæ Neptis eſſe, & eſſe Nata vult mihi;
Sed utrunq; nomen Neptis & natæ execror:
Et hunc Tyrannum ſanguinis noſtri luem,
Nepos Generque qui cupit dici meus;
Sed nomen utrunque Nepotis & Generi execror.
In hunc, in illam, in utrumque, utrinque irruant
Sed noſtra odia; bene fit quod utroſque implicet
Vnus reatus ſæpe violentus furor
Cum juſtus hoſtis defuit, deferbuit.
In quos feratur ira noſtra, reperit:

Ne

Ne deſit hoſtis, Nata ſe noſtra obviat:
Sævire diſcam hinc rectiùs, & in filia
Experiar, in Nepote quod pòſt exequar.
MORS. Ingens malorum meſſis, & ſce-
lerum ambitus,
Perplexus unde tot capita, & propagines
Odii reſ[illegible]tant fertilis morti ſeges. (cet?
Sed quale tanta ad ſcelera commentum pla-
Vnde ordieris? cujus auſpiciis agis?
Authore quo quid incipis momentum ha-
bet.
MOL. Pulchrè ſtatutum eſt, vota ſe no-
ſtra explicant.
Spem de futuris foveo: principium liquet.
Miniſtra ſceleris ſola Suſpicio placet:
Hanc evocato, in abdito inferni latet,
Omnes latere geſtiens, & ſe, lateris
Vt ſuſpicetur, ſuſpicax etiam ſui.
MORS. Quid moliaris ſentio; & mon-
ſtrum ſcio,
Quod plurimos morti dedit, & plures dabit
Iſtic morare: quod cupis ſiſtam tibi.

ROXANA.

ACTUS PRIMUS.

Scena Tertia.

ARGUMENTUM.

Fingit Moleontis Umbra se execratam sui domum percipere, natamque Roxanam.

MOLEONT. UMBRA. *sola.*

CAnis Britannicus, vertagus velut celer
Quando latentis indicem odorem feræ
Hausit sagaci nare, tremiscit artubus
Cunctis, & ora sufflat, & latratibus
Nitens acutis, percipit quod non habet,
Et non videt, sed spe tamen & videt, & habet:

Sic

Sic execratæ divitem prædam domus
Percipio, blanda ſpecula & amica tamen,
Certamque facilè credo, quia certam volo.
Nunc vivere incipio, & incipiunt hoſtes
mori,
Nunc fauſtiore ſorte quam priùs rego; (tes
Hoc imperare eſt, Nolle quicquid non po-
Aut poſſe quod vis: poſſumus, reges ſumus,
Et fuimus olim: ſed luent per quos ſtetit
Quod fuimus. Occupanda nunquam ſceptra
ſunt
Niſi propter hoſtes: eſſe mihi regem lubet.
Agite Miniſtri, quis minuet curam hanc
mihi?
Vt inde creſcat ipſe: Si quicquam me amas
Oſtende (nunquam magis indicium peto)
Inviſa nobis capita, Nepotum filiæ
Generiq; monſtret: abſq; corporibus magis
Forſàn placebunt: ſi redire in gratiam
Oſſiumq; quærant, diluere hæc ſola eſt via;
Sed ſentiant ſe, quando moriuntur, mori
Et antequàm moriuntur: hoc pœnam facit.
Tamnè expedit è? priùs amicos credidi,
Nunc ſentio. Quid hoc? video Natæ caput?
Roxana ſalue; Patris in amplexum veni.

Tradunt

Tradunt morienti decedere formæ decus,
Sed crevit in te, Nata: quantò es pulchrior
Defuncta? (si non judicio nimis pater.)
Et hæc Nepotum Capita; de matre augu-
ror,
Patri nec abludunt, habent & quiddam avi,
Nepos Generq; geminâ amicitiæ notâ
Optate patruo Nepos, socero Gener
Optate per te, sed liberis & conjuge
Optatior geminâ. Hic modum iræ ponimus;
Vindicta tandem pereat, & malus furor.
Sed non peribit. Anime, quò pergas vide.
Incogitantes garruli, & (quod maximum
Inesse vivo huic pectori potuit scelus)
Pene innocentes fuimus, innocuè loqui,
Dum discimus: non parvus ad amorem est
gradus
Affari amanter, sentias contrà licet,
Quod sustinebis discere, & facere id potes.

Actus

ROXANA.

ACTUS PRIMUS.

Scena Quarta.

ARGUMENTUM.

Suspicionem a Morte vocatam excitat ad machinandum scelus dirum Moleontis Umbra.

MORS. SUSP. MOLEONTIS *Umbra.*

MORS. SIc illam in omnes ira crudelis rapit.

SUSP. Attendo, sed præcede.

MORS. Cur moras facis?

SUSP. Egonè Mortem patiar a tergo sequi?

Vt falx tibi est, sic colla mihi. MORS. Frustrà times.

SUSP. Frustrà veretur nemo, quod nemo satis.

MORS. Sed quare lates? SUS. Sim quare suspicio, rogas. MORS.

MORS, Quo jam recurris ?
SUS. Metuo ne fures domum.
Me abſente rapiant. MORS. Sed nihil eſt
domi tuæ
SUS. At cura magna eſt ne pereat illud nihil.
MORS. Numeraſnè claves ? SUS. Fortè
conjux inſciæ
Subduxerit, & abſente me, mihi pellicem
Inducat. MORS. An virtus & cuſcus ſenex?
SUSP. Aurora Tythonem rapuit magis
ſenem.
MORS. Pectus perambit clathra cur pli-
cabilis ?
SUSP. Deprenſa ſum ; quorſum iſta ſci-
ſcitatio ?
Et ille teſtis ſuſpicor verbis datus.
MOL. Monſtrum nigrantis Tartari, ſub
quo lates,
Illudq; ſub te latet, in quo clauderis
Atque in te claudis. Auxilium mihi
Promitte: dabitur magni materia mali :
Servi libido, Regis ignotus thorus,
Regina ſpreta, & ſpreta quod ſit neſciens,
Ignara pueri Mater, & Matris puer,
Gener, Nepotes, Mater, infeſta omnia.

SUSP.

Susp. Cur tu immerentem puerum ul-
ciſci paras?
Mol. Vtrum immerentem? ſtuprum
an impietas facit?
Sus. Sed paſſa vim eſt invita. Mol. cre-
do & nuptias,
Et liberos. Sus. Quid virgo faceret im-
potens? (des;
Mol. Quod nata Lædæ fecit, & Beli-
Vetus exolevit fama, feciſſet novum.
Sus. Habes Nepotes, Regii hæredes
avi.
Mol. Sed habeo Generum, patrui homi-
cidam ſui.
Sus. Sæviſnè Genitor in filiam? Mol.
Etiam in Patrem, (vio.
Etiam in me ipſum, dummodo in hoſtem ſe-
Sus. Quid ſuſpicabor eſſe faciendum
mihi?
Mol. Quodcunque ſævum, crudele, vi-
olentum, impium,
Scelus, atq; ſi ſit ſcelere nomen dirius;
Quod ſuſpicari nulla ſuſpicio poteſt,
Neque mors ſatis ulciſci; hoc eſt faciendum
tibi.

Contagione

Contagione Regiam, ſed peſsima, (ris,
Accende, qualem ipſa metuas cum accede-
Ingredere tota, ſicut ad facinus ſoles (cet,
Quod ipſa abhorres: Nulla pars Aulæ va-
Tuique nulla: Minima Suſpicio volet,
Seu vera, ſeu ſit falſa, dummodo mala.
Si quicquam amoris & fidei carens ſcelus,
Quod impedire poſsit, inſit Regiæ,
Citò imputetur: ſed quota eſt hæc pars tui,
Vt illa pereant? Rariores hoſpites
Nulli inter Aulas, ſponte moriuntur ſuâ.
Sed illa ſurgant, ſtudiis quæ totis agis,
Cautela nimium ſuſpicax, vani metus,
Doli, furorque cædis, & ſcelus, & nefas,
Et quicquid hoſtes hoſtibus vovent mali,
Boni miſerentur: ſic metuant, quod non ſci-
ant:
Et quod cuiquam poſsit accidere malum
Vereantur in ſe, & conſtet augurium ſibi:
Ne fruſtrà timeant in medio poſitum ſcelus
Præoccupent utrinque, & ad finem mali;
Capiantur uno victor & victrix dolo.
Atque en nunc famularum perviam pom-
pam parans,
Atoſtà dubio tendit ad templum gradu,

Vt

Vt ſæva noctis viſa donis capiet!
Ipſa tacente loquitur in vultu metus.
Accinge te; nunc ſuſcipe hanc cauſam tuam,
Vireſque totas collige, ut tui tibi
Menſura conſtet: quid potes, multi ſciant,
Vix ipſa quantum: præſta documentum grave
Niſi qui probavit, nemo ſe rectè æſtimat.
Tuque illi adhære particeps Mors, & comes
Sine morte comite ſuſpicio nulla aut levis.

ACTUS PRIMUS.

Scena Quinta.

ARGUMENTUM.

Narrat Chorus quæ Atoſſæ occurrunt per quietem in ſomnia, ſe duas Angues ruere in thalamos, in aulam lupum & infauſtam avem, Bubonem carmen ululaſſe.

CHORUS

CHORUS *ex tribus.*

QValis vario ſymmate, formas
Nox picta trahis mille colores,
Atque ſepultis ſenſibus offers
Rerum facies, ſpeculoque tuo
Actus prodis ſæpe futuros,
Sollicitâ tuæ cura quadrigæ
Et comes hæret timor eunti:
Nocte ſuprema ſic Atoſſam
Pavidis terrent ſomnia ſpectris.
Pratis florigeræ ſicut apes novis
Carpunt delicias, & juga florea
Errantes, variis crura ſaporibus,
Ad cellas referunt tincta; ſed unicum
Succum de variis floribus exprimunt:
Sic inter ſpecies ſenſibus obvias
Noctu, mens animi corpore libera,
Decunctis variam fingit imaginem.
Non vana fides hominum functas
Animas mediâ nocte vagari,
Et demerſis ſenſibus umbras
Mittere rerum ſæpe futuras.
Cum nox medios ageret curſus,
Staret & æquo temone polus,
Subitò geminos vidimus angues

Ruere

Ruere in thalamos Atossa tuos,
Et sinuosas volvere spiras,
Et surrigere sibi colla,
Lineam cum Sol pater æquilibrem
Tangeret cœli, penetravit aulam
Insolens urbis, lupus & domorum
Ferre conspectum: gemuitq; Bubo
Carmen, in faustis ululans querelis.

Finis Actus Primi.

Actus

Actus Secundus.

Scena Prima.

Argumentum.

Ingentis Oromasdes sui metus causam exponit Besso; ne palam esset Atossæ conjugi, novæ conjugis Roxanæ superinductio.

Oromasdes. Bessus. — —

Oro. VTrum inquietus animos ignavos metus
Sibi fingit ipse, rebus ut magnis solet?
An Dij nocentes, forsque difficilis bonis
Sese impiarint scelere, Roxanæ in caput

Aut impiabunt? Quicquid adverſi eſt ſcelus,
Præſagit aliquod ſuſpicax animus malum.
Cur ſuſpicetur neſcit: at animus malum.

BES. Morbus ſapientum eſt, metuere ubi non eſt opus.

ORO. Nervus ſapientum eſt, metuere & diffidere.

BES. Effare ſervo, quis cruciet animum metus.

ORO. Cavere poſsim, ſi ſciam; ſed ſuſpicor.

BES. Properat nimis ſuſpicio, quæ præit metum.

ORO. At illa ſera eſt, quæ ſequitur veros metus.

BES. Is ſuſpicetur, cujus eſt etiam timor;
Rex quem timebit? ORO. Major eſt nobis timor,
Sed in ſecreto: ſit populus pœnæ arbiter,
Nunquam timoris. BES. Quale vereatur malum
Roxana? ORO. Quicquid femina & quicquid nimis
Dilecta, rarus invidet inviſis Deus.
Sed ne latenti torqueor fruſtrà metu,
Cape has ſacratæ interpretes claves domus

Iterq;

Iterq; cæptum corripe, & hunc cape annulum,
Sigillum amoris, & tacitam fidei notam,
Speculumq; formæ conſcium, cum his literis
Quas irrigavit imbre lachrymarum dolor,
Penè ad lituras. Expedi, redi, vola;
Non inquietos exuet prius metus
Sollicitus animus; creſcit in pejus timor
Moras trahendo. BES. Fiet Oromaſdis inclyte,
Certabit expeditio ſimul & fides.
Sed qualis iſte non tui vultus color,
Incertus oculi jactus & dubii pedes,
Tremorque ſubitus, & animus haud conſtans ſibi?
Partem doloris conjice in me, ſi potes
Omnem: voluptas ſubditi eſt Regis mala
Levare & perferre: taciturnus dolor
Se exedit ipſe: vim minuit magnam mali
Qui narrat. ORO. Iſte ſilentio curabitur
Morbus, loquendo creſcit. BES. Id quod garrulis
Loquere, palam fit; quod tacitis latet magis.
ORO. Qui multa cuiquam credit, affari docet.

BES. Qui conſciis quid ſubtrahit, damnat fidem.

ORO. Nil ſtatuo certi; ſed timeo, ſed ſuſpicor.

BES. Suſpicio ſæpe prodidit metum ſuum.

ORO. Loquar, recondit temeritas rarò fidem.

BES. Quod dixeris mihi, lapidi dictum puta.

ORO. Occulta reddit Lydius lapis palàm.

BES. Muto loqueris, cujus os vocem premit.

ORO. Quod lingua muta celat, id ſigna exprimunt.

BES. Sic immerentis elevas ſervi fidem?

ORO. Sat Beſſe conſtat; ſed animus magno in metu
Impos ſui eſt: nec credit aliis, nec ſibi:
Illud verebar, nequis Atoſſam malus
Docuiſſet error, conjugem de conjuge:
Sic inquieta viſa eſt & anxia modò,
Ambigua jactans verba, nec fractis iter
Recluſit ira vocibus; & per omnia

Par

Par est Atossæ, parq; Zalotypæ dolor.
Sed tu citatam corripe & viam & moras
Itum reditumque, ut exuar tanto metu,
Me distinebit interim cura anxia.

ACTUS SECUNDUS.
Scena Secunda.

ARGUMENTUM.

Utrinque imminentis periculi metu obsessum, tandem insanus Atossæ amoris furor Bessum rapit, & per maxima scelera ad fruendum exagitat,

BESSUS. SUSPICIO.

BES. FOrtuna, misero blanda, felici læva,
Gravis ruituro, capta quæ semper capis.

Quò me extuliſti in arduum montis jugum:
Regi ut ſuperbum proximus ferrem caput,
Vbi mors cadentem ſequitur & ſtantem metus:
Humili latebam tutus & tectus domo
Nec poſſe tangi ſenſeret prudens Dea;
Ergo elevetur, inquit: hac parte obviis (tiot
Telis patebam, ut creſcerem in damnum, al-
Irem ad ruinam: ſentio labi ſtatum
Quo fulciebar: Deſpicio præcipitii
Immanem hiantis vorticem: ſola eſt ſalus
Præoccupare præcipitem caſum, & ſpecu
Minante mortem involvere ne monte excidam:
Vtrinq; timeo, & timeor, utrinq; obnoxius
Sum, noxiuſq; credor, id Regi ſat eſt;
Hic ſuſpicatur proditum per me dolum,
Si proditus ſit, conſcius ſolus fui;
Regina per me credit abſcondi malum
Quocunque prodi poſſit: Inter Aulicos
Solus ſecreta namq; Regis ſentio;
Vtrique vitam debeo, ne non ſatis
Sit unus exigendo: mihi pariter nocent
Feciſſe, non feciſſe, peream ut certius.
Sed hic faſciculus de ſegete eſt mei mali:
Cupido,

Cupido, misero nulla, moderato levis,
Gravis fluenti prosperis, quo me rapis
Mei impotentem? sive amor est, sive hic dolor
Furorq; potius: Anime superbe, intemperans,
Hic siste fluctus ebrios, nec littora
Rationis ultra fervidum salum vome.
Atossa, Besse, nunquid ambitur tibi?
Regina claræ Bactriæ? cujus sacro.
In ore Majestas sedet, & castum decus,
Et forma nulli facilis, & custos pudor.
Quid stultus egi? colligo causas, ne amem
Magis inde amavi: laus amoris & nata est
Et ansa. Sus. Sed spes non favet votis tuis.
Bes. Magis inde amabo, plus libet quod non licet,
Vincentis honor est, ubi labor est victoriæ.
Sus. Reginam amas. Bes. At Principes nihil timent, (mor.
Virtutis arctum est vinculum pudor & ti-
Sus. Pulchra est. Bes. Videtur pulchra sibi nunquam satis
Nisi quando amatur. Sus. Castitas moram dabit.
Bes. Cum castitate forma vix jugum trahet

Sus. Sed unde votis annuet veniam tuis?
Bes. Amabo; amoris magnus est illex amor:
Etiam ipsa flectet; nulla amoris nescia est
Quæ semel amavit: Virgines quod non sciunt,
Amant, mulieres & quod sciunt & quod amant.
Sed longum iter signamus, & nimium ambitum
Porrigimus; istuc consilio celeri est opus:
Amor morari qui potest, tolli potest;
Aut franget aut frangetur affectus meus.
Sus. Quid si ipsa tardet? Bes. Regii pateant doli,
Roxana conjux æmula & nati novi,
Zelotypa faciet, quicquid Atossa non facit.
Sus. Sic est agendum; per scelera tutum est seelus.
Bes. Sed immodeste, stulte, violente, impudens
Anime quid audes? quid facis Regi & mihi
Pariter rebellis, Regis oblite & mei?
Quonam alma pietas cessit? ubi latitat fides?
Vbi se Deorum condidit metus? & pudor

Tinctura

Tinctura honoris ? quicquid & homines malos
Non patitur esse, nec patitur esse in malis ?
Vbi hæc ? ubi illa ? & quicquid isto in pectore
Abesse tantum sentio : ? vel si levi
Parti infuisset, fingeret hoc tantum scelus.
Sed ecce amoris flammeam vibrans facem,
Atossa tendit : quis vetitus mentem calor
Iterum lacessit ? unde recrudescit dolor
Sævus sepulti vulneris ? quo me pudor,
Quo me relicto tendis ? abcessit & redit
Sed tardus, iterum totus & penitus fugit.

ACTUS SECUNDUS.

Scena Tertia.

ARGUMENTUM.

Atossa insolitos vultus motus sciscitanti, amorem suum exponit. Bessus, rejicientiq, ut facilem reddat, conjugis sui Oromasdæ stuprum Roxanæ & geminos partus narrat. Illa statim in furorem adigitur, & vindictam machinatur.

ATOSSA. BESSUS. SUSPICIO.

ATOS. FÆcunda mater somniis Tellus parens,
Et vos beata turba Noctivagi Dii
Manes

Manes lareſq; præſtites noſtræ domus,
Noxque alma, cujus ſydereæ rutilum caput
Flammæ coronant, quæ tuo gremio foves
Defecta ſomno membra; quotq; numina
Alia ſepultis ſenſibus varias agunt
Imagines, & induunt animum novis
Rerum ſimulachris; eſte mihi, precor, leves,
Et ſæva noctis viſa & horribiles minas
In execratas vertite hoſtium domos.
Sed Beſſe, qualis iſta tam immotus ſtatus,
Colorq; moriens & rediens toties tibi,
Et laxa cervix, atque humeris caput grave,
Oculiſque tanquam corneis fixum jubar,
Anhelitus repetitus, & plexæ manus?
Tenè etiam trepida territant inſomnia?

Beſſus. Me noctis horrent viſa, ſed lucis magis.

Atoſſa. Ignavus eſt, qui ſomniat vegeto die.

Beſſus. Spes blanda nihil eſt niſi vigilantis ſomnium.

Atoſſa. Licetne ſcire ſomnii formam tui?

Beſſus. Neceſſe eſt viſa ſcire, quæ tendunt tibi.

Atoſſa. Si læta ſunt accipio, ſi læva abnuo.

Beſſus.

Beſſus. Præſtare utrumque, liberum imperium eſt tibi.

Atoſſa. Sed quæ recurrit forma ſenſibus tuis?

Beſſus. Per amica noctis viſa amare credidi.

Atoſſa. Effare amatæ nomen, & certas notas.

Beſſus. Timor pudorque prohibet, at magis timor.

Atoſſa. Comites amanti inutiles timor & pudor.

Beſſus. At hi fatigant vel recuſantem hoſpitem.

Atoſſa. Effare amatæ ſigna, ſi nomen negas.

Beſſus. Atoſſa, niſi tu, nulla tam ſimilis tibi.

Atoſſa. Vel ipſa poſſem amare tam ſimilem mihi.

Beſſus. Sic illa loquitur, aſpicit, ſtupet tacet.

Atoſſa. Quis neſcientem ſurripuit memet mihi?

Beſſus. Proferre vultus ſigna poſſum vivida.

Atoſſa. Deſideret quis nomina qui vultum videt.

Beſſus.

Bessus. Hic spirat illi nobilis formæ decus
Atossa. Nihil hic resultat præter imaginem mei.
Bessus. Sic nempe speculum conscjam formam refert.
Atossa. Videre cur es ausus istoc somnium ?
Bes. Amica nemo vetat in amicis somnia.
Atos Cur somniasti nulla quod dabit dies ?
Bes. Vnus vigilanti mundus est, in somniis
Suus cuiq; Quisque quod vult somniat.
Atos. Ergo ut videtur me vigilans, videns, amas.
Bes. Amare si sit culpa, culpam deprecor.
Ato Fides colenda in principes & non amor
Bes. Qui quod minus est jubet, haud vetat quod est magis.
Ato. Fidem & timorem ; quicquid est ultra, aut furor.
Aut servitus *Bes.* Seu furor, seu servitus,
Vterque Atossæ servit, & Atossæ furit.
Atos. Mitte hunc amorem, te melius decet pudor.
Bes. Is frustrà amavit, non amare qui potest.
Fato reguntur, non legibus, mors atq; amor.

Atos.

ATOS. Si fata cogunt facere, cogunt & pati.

BES. Quæ sic amanti irascere, quid hosti facis?

ATO. Pari loco est, qui me odit, & qui invitam amat.

BES. Quæcunque culpa est, culpa Regina est tua.

ATOS. Quis amare jussit? BE. Lucidum formæ decus.

ATO. Spectare quis coegit? BES. Hoc formæ decus.

ATOS. Tibi non patebat. BE. Astra lucent omnibus.

ATO. At non patebit. BE. Astra non possunt tegi.

ATO. Siste hunc furorem. BE. Quis furori obstet furens?

ATO. Sciet Oromasdes. BE. Plura Rex intelligit.

ATO. Moriere. BE. Idem est mihi non potiri & mori.

ATOS. Sic me Cupido mollis & turpis Venus,
Despecto amori projicit ludibrium?

Populo

Populo probamur, viximus nimiùm diu;
Beſſo placere cæpimus: pulchræ ſumus.
Deſpecta ſi non conjux, & vilis forem
Non cogitaſſet iſta; de Regis animo
Perſpecto amat: hoc ſecreta permittunt tibi.
Sus. Reſcivit; actum eſt, eloquere, præoccupa.
Bes. Atoſſa, faſſo ſi pateat veniæ locus
Secreta prodam, quæ tuum tangunt caput.
Ato s. Audacter effer, dabitur & venia & fides.
Bes. Conjux Oromaſdæ eſt alia. Ato. Quod monſtrum audio!
Bes. Roxana nata patrui. Ato. Id ſuperi ſciunt?
Bes. Et gemina proles. Ato. Suſtinet terra hoc nefas?
Bes. Regnoq; deſtinatur. Ato. Atoſſa hoc ſinet?
Bes. Divortium meditatur. Ato. Vitâ ſuâ.
Bes. Turri condiderat intimâ ſylvâ pater:
Dum forte Rex venatur, errat longiùs
Turrimq; cernit, ſolus inter eram comes:
Ingreſ-

Ingreſſus iſtam conſpicatur virginem,
Narrat parentem mortuum, regem novum
Se jam imperare: mæſtam & attonitam metu
Stupro conciliat, jungit & mox nuptiis
Vbi peperiſſet; nunc quòd Aulâ Bactriâ
Regina non colatur, & ſylvam exuat,
Obſtare matrem fingit incæptis ſuam (meo
Atoſ. Tam caſca videor & vetula, ut mater
Fiam marito? vapulabit hic puer.
Beſ. Nunc iſta amatæ ſigna Roxanæ fero,
Ceraſq; regis, indices veri metus:
Diù hoc recondit nimius in Regem favor
Reclusit amor, doluit inſignis tui
Iactura honoris: facio diſcrimen meæ
Narrando vitæ: Moriar an vivam tuum eſt.
Fuitq; noſtrum: quanta tibi tribuam vides.
At. Quis me exeratæ Ditis afflavit vapor?
Quæ fuſca nebula noctis involvit malæ
Mentis acumen? qualem ob Ætnæo rogo,
Furvum nigrantis vorticem fumi vomit
Quoties paventes terret Enceladus Deos.
Et triſte cælum noctis æternæ metu!
Ite huc benignæ Furiæ & infames ſtrigum
Catervæ ſtridularum, & ululantes chori
Lemurumque larvarumque flammeas faces

In

In me rotate: non minus in me sæviat
Incendium, quam squalidis Lemni jugis
Insanus ignis volvit, aut nubis sinu
Fulgur coactum findit obstructum latus;
Laceroq hiatu flammeas undas agit
Siste ira fluctus, Siste; non vacat quæri,
Quicquid dolori de dero vindictæ perit,
Quæ nulla nisi tota est: Maritum amisimus,
Quæratur alius: Reperi; Besse hic places;
Nec signa gemmis squallida, Eoi maris
Aurive pondus grave, nec ad thalamos peto
Dotale sceptrum, quod statuam dextrâ tuâ:
Sed pellicem invitam, geminosq; liberos
Dari requiro: Besse, dote istâ places:
Nunc dura mater regias cæpit preces,
Tandemq; fractus animus ignotam nurum
Videre gestit, & suo genero frui.
Huc usq; Regis uxor in occulto fuit
Regina mox dicenda, quod majus decus.
BES. Victor Triumpho; Numini & datur tuo
Cui vota solvam, gratias; (ut diis solet)
Sed sentiendo quam loquendo plenius.
Et gratiarum non minima pars hæc erit,
Differre grates, ut citius jussa exequar. *Exit.*

ATO.

ATO. Despecta, spreta, vilis, & ludibrium
Hostile facta sum! idque (quod summum est mali)
Ignara? post tot scelera, post læsum thorum,
Post stupra, tædas, pellicem, atque annos decem,
Rescisco! per hæc cuncta, quod magis dolet,
Pudica, fida, constans, innocens fui.
Nunc reviviſco; & omnis annorum decem
Error dolorque tempus in presens redit,
Cui non dolendo tempus omne sufficit.
Quemnè exulantem, supplicem, fractum pater
Meus reduxit patriæ, sceptro, throno,
Meis coactus precibus; is me rejecerit?
Eripere possum sceptra, quæ potui dare.
Mirabar sterilem quis malus faceret deus,
Amor exulabat, frigidus meos thoros
Accessit, & defectus, ut ad matrem solet.
Hoc sæva visa noctis, hoc superi docent
Tandem loquaces, taciti hos annos decem.
Roxana reget? pellici cedam thoro?
An spurios alam? excidam regno meo?
Prius Triones cærulam Tethin bibent,
Et inquieti circuitum solis, quies

Æterna

Æterna fistet liberam vertigine.
Abscede ratio, mens bona, & mollis pudor,
Materque pietas, quicquid & scelus vetat:
Discurre vivax ira, vindicta impotens,
Furorque præceps: pectus en totum patet;
Non sic medullas hausit Herculeas Hydræ
Torrens venenum; non ululatis jugis
Insana Mænas corde lymphato suum
Discerpsit suo Pentheum; non sic ruit
Mædea læsi stimulo amoris saucia,
Quando astra atque omnes ad suos gemitus deos
Deduxerit. Major mihi incumbit dolor,
Furorque major; dummodo huic pejus scelus
Nascatur, omne sceleris exemplum supra.

Actus

Actus Secundus.

Scena Quarta.

Argumentum.

Conqueritur Chorus futilem noxiumque linguæ garrulæ pruritum.

Chorus.

Futilis rerum malè creditarum
Lingua, pruritu fervens loquaci,
Quale portentum est, & inauspicati
Ominis horror?

Turbidos in se revocat tumultus,
Sicut inflato violentus ore
Cæcias nubes glomerat sequaces
Flammis cæcâ illecebrâ, Polumq; à
Cardine torquet.
Deprimit

Deprimit rerum meritos honores,
Peſtilens ſicut vapor inquinati
Syderis, pulchros tetigit Roſarum
Ordines, & purpureos comarum
Solvit amores.

Nutrit hæc iras, pariterque amores,
Sicut Ætnæo Enceladus cratere
Igneos amnes vomit ultulatus,
Et ſimul pluviâ nimis inſolutâ
Culmina canent.

Quam proditori garrulitas malo
Vexat, rigeſcat lingua ſilentibus
Durata ſaxis, ut procacem
Dii Niobes domuere morbum.

Oblivioſo merſa ſilentio
Perdat ſonorum ſenſa recondita
Lethæa ſicut quos vorago
Immemori penetravit hauſtu:

Non dicta ſignet credulitas levis
Sed verba ſpargant flamina, ſpiritu ut
Euri citato, ventilata
Gluma vago glomerat rotatu.

Actus Tertius.

Scena Prima.

Argumentum.

Oromasdes de repudianda conjuge Atossa Arsacen consulit, tandemque repulsis omnibus argumentis divortium statuit.

Oromasdes. Arsaces.

Oro. IAm lætam cæptis porrigit frontem meis
Fortuna, pleno spiritu impellunt ratem
Animæ sequaces, nec procul portus fugit:
Tu solus inhibes impetum fusæ ratis,
Seu Remora piscis injicit mari moras

Sallum

Salſum vomenti gurgitem, quanquam Notus
Incumbat acris in renitentes Sinus.
Arſace, liceat conjugi ex animo tuo
Divortium remittere, ut faciles dies
Agam expeditus conjuge, & curis malis.
Arſaces. Rex magne, cæptis annuant ſuperi tuis,
Nec vis deorum triſtium aut livor malus,
Regni beatum nube contriſtent ſtatum:
Sed eſſe ſuperos cum ſcias, ſuperos time;
Cunctos deorum jura venerari decet,
Magis imperantem. *Oro.* Tangit hic populum metus,
Arſaces. Rex eſt populo menſura: pietatem docet
Qui facit. *Oro.* Honor regalis in vili eſt ſitus
Cui viſq; faſq; cum populo par eſt ſuo.
Arſaces Pars magna regis decidit faſtigio,
Minus cui liceat eſſe quam populo pium.
Oromaſdes. Reliquus Senatus ordo conſentit mihi.
Arſaces. Hoc eſt timendum nemo quod regi negat.

Oromaſdes.

Oromasdes. Cur solus in diversa regem di-
strahis?

Arsaces. Rationem amoris cogatur nemo
dare.

Oromasdes. Regina sterilis impedit regni
vires.

Arsaces. Injusta facta, regna, regesque e-
runt.

Oromasdes. Sic Bactriani decidet regni de-
cus?

Nec per Nepotum sceptra transmittam ma-
nus?

Privata vel si tangerent animum minùs,
At vestra flectunt: Quanta bellorum seges
Hinc pullulabit Regis ignoti metu?
Quid factiosæ Principum manus agent?
Vbi quisque regnum, nemo quod Rex ob-
tinet,
Suum esse credit? quantus error partium
Manabit indè, bella cum plures simul
Reges patientur, unicus victoriam?

Arsaces. Si cura prolis, atq; imaginis tuæ,
Sollicitet animum, conjugi hoc fiat tuæ,
Si fœta luno, mollis & flectat Venus,
Quarum frequenter numine vel sterilis foret

Niobe

ROXANA.

Niobe ſuperba, vel Danaidum parens,
Vel illa quæ tot filios, tot filias
Priamo creavit: cernis exempla impia
Thalami coacti? quàm patrem ſe non velit
Miſer Thyeſtes, viſcera viſceribus ſuis
Sua qui recondit? Quam Laius orbus foret
Etiam præmonitus, funeris ſtructor ſui?
Exempla certant; quæſtibus nullis magis
Laſſantur aſtra, & domus regiæ gemunt.
Quod ſi futuros proſpicis regni metus,
Hæreſq; tangit, qui tuis ſceptris deeſt,
Probas amorem, Oromaſda, non probas
metum.
Mortale non ſic ſprevit & ſuum genus
Divûm poteſtas, orbis ut curam exuant;
De rege ſuperûm viderit Rex & Pater,
Populuſq; cenſor, principum, & enſis aureus
Sceptri ſequeſter: At tuos pax altior
Beabit annos, ſi ſciant in te mori
Regem, nec orti ſolis expectent jubar.
ORO. Hominum peribit iſto documento
genus:
Quis conjugalem Cypridis legem & jugum
Sacrum ſubibit? cujus incertum metus
Torquebit animum ſemper inſanus, velut

Saxi minantis Syſiphum lapſus premit:
Quis arva ſulcis tollet, aut fruges feret
Quem rorulentus imber, & madidis Notus
Exterret alis? quis rati findet fretum
Quod Scylla latrans, & reſorbens æquora
Vrget Charybdis, & procelloſo mari
Tot ſaxa, Syrtes, vortices, æſtus, vada
Semper timenda? poſuit in anguſto Deus
Vitæ laborem, nulla pars metu caret.

ARS. Privata cautio, non vetat mundi ſtatus
Durare leges; liberi quamvis tibi
Deſint, manebunt Bactria & humanum genus.

ORO. Privata decora ſubtrahis Regi tuo?

ARS. Injuriam per publicam non fit decus.

ORO. Regni ſalutem quicquid intendit, jus eſt.

ARS. Ius illud eſſe, jura quod tollit, poteſt?

ORO. Vbi regna non ſunt tuta, jus faſque excidunt.

ARS. Vbi jura non ſunt tuta, regna decidunt.

ORO. Rex deſtitutus prole dimidium ſui eſt.

ARS.

ARS. At sæpe sceptris excidit totus suis.
ORO. Regem futuri temporis tangit status
ARS. Cavet futuro, si cavet suo, satis.
ORO. Quæ jura læsit conjugis repudium?
ARS. Lædit parentum, gentium, regni, Deûm:
Debes Atossæ regii sceptri decus,
Cujus parentis munere habes, quod regis?
Cum regna Moleon, credita à tuo patre
Ipse occuparet, Gangaridum regis domum
Supplex petebas: Ille restituit decus
Raptum coronæ, & filiam in uxorem dedit.
Nunc exul illa repetet antiquos lares
Intaminata & scelere nullo saucia,
Hujus repulsam vindicet bello pater.
ORO. Exordiatur bellum: non nobis manus,
Non arma desunt, sentiet quid Bactria,
Quid Oromasdes possit, & genus suum
Socerum perosus: turbidos sed tu metus
Incautus auges, regis ignoras metum.

ACTUS TERTIUS.

Scena Secunda.

ARGUMENTUM.

Natali solo faustitatem precanti, & inquietam rerum vicissitudinem quærenti Roxanæ triste aliquid præsagit animus, quod amovere laborat Bessus: cui illa insomnia referens, doloris incrementa ex liberorum consolatione adauctа conqueritur.

ROXANA. BESSUS. SISIMITHRES. ARIASPE.

ROX. O Luce, quaque vescor aurâ, charior
Natalis urbis tractus, in quâ olim pater
Et faustior Maritus, humani modi
Mensuram adeptus, propiùs accessit Deos,
Salue,

Salue; & Deorum si quis infelicium
Preces resignet, sis precante fausti or,
Et te beato sanctitas cingat sinu,
Implumis & te protegat victoria.
Quantum inquietæ gestiunt rerum vices?
In nemora exuimus urbes, & in urbes ne-
mus,
Illic virentes arborum nutant comæ,
Et sibilanti spiritu Zephiri fremit
Mollis susurrus; vernulæ fundunt aves
Ad prima lucis regna tinnulum melos;
Et captiosa sub cavernosis jugis
Ecchо occupata vocis extremæ sonos;
Hic arcuatos fornices, & turrium
Eructa cælo culmina, & molem parem
Monti, colossos cerno, & infaustum patri
Aulæ nitorem: Tristis occurrit mihi
Imago rerum veterum; at hanc superi levent!
Bes. Quis innovatus sauciat mentem dolor?
Quid in sereno nubilus cœlo vapor
Obduxit imbrem? cur lachrymæ genas ri-
gant?
Rox. Genitor beate, mortuo si quis mei
Sensus superstat, parce; nec votum meum
Fidemve posce: cur subitus animum metus

Labefactat, & cor pulsat objectum latus,
Ægréq; subdunt corpori officium pedes:
Deprensa sicut fervido navis salo
Incerta fertur, quam procellosi maris
Hinc æstus urget, turbines illinc trahunt.
BES. Roxana causas explica subiti metus;
Generosus animus difficiles motus capit.
ROX. Silentiosa noctis inter somnia,
Ad Regis ibam tecta suspenso pede;
Nec regis illa tecta, sed silvæ horridæ
Subitò videntur; unde remetiri gradum
Perplexus error frondium & viæ negant;
Sicq; implicatæ, Tigris infamis loci
Apparet horror, igneas spumas vomens,
Primoq; prolem dentibus sævis rapit,
Hausitq; totam, deinde me prædæ aggerit;
Horrore quo perterrita somnos expuli.
BES. Vt cum fluentis ebrius Nilus pater
Canopi in agros, hospites undas vomit,
Iterumq; sorbet, squalidi cumulis luti, (vis,
Animata crescunt monstra, & effigies no-
Miræ figuris exerunt varium caput:
Sic quod diurnus condidit sensus, vigil
Animus retractat, miscet, & finget retrò;
Hinc milleformis rebus è variis meat
Imago,

Imago, cum tot monſtra jungantur ſimul:
Sic error eſt metuere quos facis metus.
Rox. Inſigne rarò ſomnium caret fide;
Sed ſomniis his exitum ſuperi negent.
Quid hoc? quid in me ſic reluctatur mihi?
Sis. Mater. Rox. Siſimethre.
Sis. Cur moras mater facis?
Properemus, atque eamus obviàm patri.
Rox. Iter ſecundent ſuper, & hunc metum levent.
Sis. Ego non revertam ampliùs noſtram domum.
Rox. Inauſpicata verba, cur jactas puer?
Ari. Mater. Rox. Ariaſpe. *Ar.* Hanc arborem magnam vides?
Cur ſuſtines dextram? caput nunquid dolet?
Sis. Si tu lachrimaris, ego lachrimari volo;
Alloquere matrem ſoror Ariaſpe, ne fleat.
Ari. Quis verberavit te mater? Sis. Ego mortuum
Hoc pugione fecero, qui te verberat.
Rox. O vera matris, vera patris pignora!
Vobis eatur, quicquid adverſi Deûm

Minatur ira, recidat in meum caput:
At vos beati crescite, & patri, & mihi:
Quicunque sed vos casus involvet, priùs
Libabo dulce sobolis utrinque osculum:
O dulcis oris spiritus! dulce osculum!
Et flos genarum suavior vernis rosis!
Absiste dextrâ sistere hunc fletum tuâ,
Nam leniendo fletum, Sisimethre, moves.
BES. Si minimus esset pietati reduci locus,
Rediret isto flebili exemplo mihi:
Lachrymas inanes excutit surdus dolor,
Riget cor intus, sicut imbricitor Notus
Diverrit arbori folia, at truncus manet.
Sed ecce mater regis Oromasdæ venit;
Compone fletus, obvios tendens gradus.

Actus Tertius.

Scena Tertia.

Argumentum.

Atossa, venturam sibi in manus Roxanam summo gaudio perfusa, fingit se materno amore illam liberosque prosequi.

Atossa. Roxana.

Ato. Sic nulla vultus aurcos nubes tuos
Sol alme, fuscet, purus & cælis eas;
Cujus petitum sidus illuxit diem,
Quo in nostras lætas venit Roxana manus.
Sed antequàm, quo cæpta protendunt, eant,
Fingamus animum qualis & matrem decet.

ROXANA.

Roxana ſalve, Matris amplexus ſubi;
Roxana ſalve, cujus ignotus mihi
Vultus decenne prorogavit gaudium:
Et vos nepotes, avi rediviva indoles,
Libate primum mellei amoris oſculum,
Humeriſq; gratum pendeat noſtris onus.
Rox. Quæ tanta pietas matris inviſa n
nurum.
Amore fovet? Heu gratias non eſt meum
Pares referre, ſed ſuperum & nati tui:
At interim (quod principes munus decet)
Matrem liberoſq; famulos accipe,
Et ante laſſum reddet occaſus diem,
Ortuſq; merget, iſta quàm pietas cadat.
Atos. Exurge genibus, ſupplices auſer
manus,
Præſtabo mox hic ſocrus obſequium tibi:
Ingredere felix, ſicut ad Regnum decet,
Cultumq; ſume regium, & dignum viro.

Actus

Actus Tertius.

Scena Quarta.

Argumentum.

Arſaces ſtulta hominum ingenia conquerens, qui vanũ Aulæ ſplendorem vitæ mediocri præferunt, excelſæ fortunæ vitia notat.

Arsaces *ſolus.*

O Cæcos hominum ſenſus, & damno ſuo
Iactata vota! quos humili & tuto ſtatu
Incertus Aulæ ſplendor illexit novos
Tentare curſus, & vagæ ſortis rotæ
Torquenda membra credere, Ixion velut
Iuſtis Deorum calculis pænas luit.
Cenſura ſtulta peperit errorem hunc gravẽ
Regumq;

Regumq; ſæpe blandus, & ſemper levis
Affectus, & quo nihil in incerto magis;
Non unda Ponti blanda ſopita Noto,
Non verna cœli puritas, non Iridis
Arcuatus umbo, mille pigmentis jubar
Mixtum revibrans flammeum, non Æoli
Diviſa regna, per tot incertas vices:
Major mobilitas Regias verſat domos;
Illuc recurrat quiſquis incertos ſtudet
Vitare caſus Plebis, atque injurias
Potentiorum; tuta ſeu periculis
Hic ſtaret ara, cura cum nuſquam magis
Homines fatiget; nec tot Ægæo mari
Nautam laceſſant turbinum ſubiti motus;
Vada inquieta Syrtium reciproca,
Scopuli latentes, fervidus tumor maris:
Huc omnis illa turba vitiorum ruit;
Præceps honoris ambitus, ridens dolus,
Suſpicio larvata, impudens calumnia,
Invidia mordax, ficta diſſimulatio,
Illiberalis ſervitus linguæ, & Divûm
Supina cura, in impares faſtidium,
In principes cenſura, bilis in pares,
Faſtidioſus & in ſtatu nobili
Pruritus, inq; rebus offuſis amor:

Febriculoſa

ROXANA.

Febriculosa levitas animi, & partium
Non sanus ardor, & susurri mobiles
Discordiarum, quicquid & alibi est malum.
Seminatur hic, & crescit ad summum nefas:
Sed major illos sollicitat cura & timor,
Quibus secreti Regii incumbit fides,
Arcana sacri sensa consilii dare.
Virtute quamvis inclytum nomen ferat
Oromasdes, captis angitur quenquam suis
Obstare, demi credit à regno suo
Quicquid negatur: auget hoc regis malum.
Facilis senatus, lentus assertor sui,
Certusq; regi, si quid urget, obsequi:
Sic flexa regis gratia, & læsus favor
Abscessit a me, jamq; nudatum premit
Calumniatrix lingua, quæ famæ suæ
Augmenta per ruinam aliorum colligit.
Quocunque volvent fata, nil statuent novi:
Nam fluxus aulæ Euripus, in varias vices
Diffusus, his exemplis animum munit,
Vt dura quævis sæpè spectando feram.

Actus

ACTUS TERTIUS.

Scena Quinta.

ARGUMENTUM.

Chorus ingentes Cupidinis narrat vires, variaque istarum exempla memorat.

CHORUS *ex quatuor.*

4 OVis indomiti saeva Cupidinis,
Et fervor veneris consilii impotens
Quanto turbine agis pectora amantium?
1 Imbrium non sic gravidus ruinâ
Ebrias torrens jaculatur undas
Cum brevi indignatus abire ripa,
Radit objecti scopulosa montis
Terga camporum nemorumque prædam
Ore resorbens.
1 Non levis inter cineres sepultus
Quando

Quando graſſatur redivivus ignis,
Flammeum vibrans caput, & domorum
Tecta jejuno populatur ore.
3 Cum puer imos intrat in artus
Non tum ratio tendit habenas,
Non pudor undas gelidas rorat,
Non alma fides conſtat amanti,
Nil penſi facit ut vota cadant.
2 Boſphori cùm ſic laceraret undas
Torvus inſanis Aquilo procellis,
Stridulis & cardinibus tonaret
Porta cœlorum: juvenis Leander
Per mare abruptum natat, & ſepultas
Noctis horrenti Cyclade procellas.
4 Quid Medeæ memorem facinus?
Quæ Cythereo ſaucia ſtimulo,
Non ignivomos tremuit tauros,
Non pervigilis torva Draconis
Lumina. Non eſt facilis ingens
Affectus: quocunque cadit, ruit.

ACTUS QUARTUS.

Scena Prima.

ARGUMENTUM.

Horrore correptus ſubito Nuntius occurrit, & ſitum Atoſſæ domus ſeralem, aulæaque ſpeciatim referens, Roxanam verberibus, indolemque regiam gladio cædi narrat.

NUNCIUS. CHORUS.
MOLEONTIS *Vmbra.*

NUN. O Si furentis turbinis procellipes
Quadriga, raptum me per albentes plagas,
Siſtat inviſo Caucaſi infamis jugo,
Flagrantis

Flagrantis aut quâ ſolis incumbens vapor
Lybicas arenas damnat æternâ ſiti;
Aut nubis atræ condat obſcuro ſinu;
Ne fulminantis ardeam tedâ Iovis,
Terrâve hiante mergar in æternum chaos,
Natura dum ſe vindicat, & turpem domum,
Et tanta ſcelerum monſtra ad infernum pre-
mat.
CHO. Quis horror iſte, ſubitus, & tantum
ſcelus?
NUN. Aut fulminator vindices fruſtrâ
Pater
Si quærit iras, & Cyclopeæ manus
Tardè caminis flammeum verſent opus,
Me nube raptum vibret, ut fulmen citis
Tortum lacertis in prodigioſam domum.
CHO. Authorem ſceleris effer, atq; ipſum
ſcelus.
NUN. Quis me expiabit oſtiis ſeptem ſuis
Ægyptus undans, rore madefactum pio?
Non omnis unda, quamq; ſidereus poli
Fornix coercet, penſiles thermæ Iovis
Terram rigantes, quamq; ſpumoſa Tethys
Volvit lacertis, purget hos viſis malis
Oculos nocentes. O ſi lachrymoſæ Stygis
Epotus

Epotus imber mergat æterno ſitu
Tam ſævi ſcelerum ſpectra quæ memorem gravant.
CHO. Perplexa quorſum verba ſic miſeras tenent?
Vtrumnè rupta Tartari repagula
Damnata cœlo monſtra torpenti vomunt?
Et ſævus Atreus Regis intravit domos
Tuoq; ſe recondit Atoſſa pectore?
Iterumne nocte flammeum merget caput
Dies recurrens? & liberos ſuos pater
Iterum vorabit? NUN. Se prius abſumpſit ſcelus,
Victrixq; Atoſſa Tantali æquavit nefas.
CHO. Expone ſceleris ordinem, & molem mali.
NUN. Suprema quâ pars Regiæ claudit latus
Gelidumq; pigræ ſidus Vrſæ reſpicit,
Secretus horret thalamus, & rarum jubar
Cæli receptat, ambitum totum loci
Feralis umbrat taxus, & buſtis comam
Fundens cupreſſus; unde lethalis bubo
Strigeſque, noctuæque flebili modo
Strident ſilenti nocte, & horrendum gemunt

Opacus

ROXANA.

Opacus intùs horror infamat locum,
Tacitumq; murmur conscios addens metus,
Inerrat ædes Noctis hic tacito statu
Infame cantibus magicis livet sacrum,
Et crebra cædes volucrum, & humanis jecur
Fibris revulsum palpitat tristi rogo,
Atq; imbre multo sanguinis spumat solum,
Et tecta fumo sordidum rugant caput.
Hinc sæpe tristis gemitus, & vegeto die
Clangunt catenæ, & strepitus armorum gravis
Collisus in se sæpè verberibus tonat.
Tortis flagellis Æacus sævus crepans,
Animæq; pœnis sauciæ ululatus cient
Raucos, boatu sæpè Tartareus canis
Trino remugit; ignibus crebris micant
Ignava tecta, nec suas flammas timent.
Huc intrat omni liberum pectus metu
Atossa gestans, & locum ornari imperat
Aulea nigrâ, pensile & mœstum decus
Cingunt parietes; nullus at subtegmina
Interpolavit artifex, nec lucidum
Variavit orbem floribus mixtis acus;
Non vernus errat pictus auleis decor,
Violæ nigrantes, purpureus splendor rosæ,
Narcissus

ROXANA.

Narcissus ardens, lilia auratis comis,
Lauri virentes, florigeræ pratis apes.
Sed unus horror, & sibi constans nigror
Aulæ inerrat, parieti, tectis, solo;
Qualis nigrantis Tartari ornatus fuit,
Cum raptor Orco duceret Proserpinam;
Sic nuptiales ornat infelix fores
Nemus cupressi; perque nigrantem domum
Horrenda pendent signa, & infausti ominis
Crudis comesis liberis conjux Rhea,
Medea laceri fratris artus dividens,
Et omnis Agi insania, elixus Pelops,
Exustulatus Pistenes, vorax sui
Miser Thyestes, matre discerptus sua
Pentheus, quadrigis tractus Hypolitus patris
Perq; æditum omnes angulos ater stetit
Lychnuchus Æthiops piceam motans facem
Defuncta tanquam spectra de bustis suis
Rapta favilla languidas vibrent faces.
Cuo. Quorsum apparatus tendit infaustæ domus?
Nun. Roxana postquam balnei crepidine
Emersa, rores exuisset frigidos,

Ceu

Ceu nuptiales duceret ritus ſacri,
Hæc tecta penetrat, biſſini veli leves
Induta amictus, & torulis fulvæ comæ
Adoperta vultus: Qualis Oceano emicat
Diana, quando fratris oppoſitum jubar
Speculo roſanti frangit, & nubis ſinu
Amicta: terris invidet plenum decus.
Regalis ambit indoles geminum latus,
Minora tanquam juncta lunæ ſydera:
(Quo viſo) Atoſſa præcipit claudi fores;
Teneraſq; diris vinculis cogit manus
Captæq; mox increpitat indignis ſonis;
Roxana, Thalamos cernis, & tedas tuas,
Aulea pulchra, fronde viridantes fores
Lætæ cupreſſi, lucidas geſtant faces
Pueri nitentes, triſtis augurium canet
Solenne bubo; exordietur nuptias
Saturnus auſpex & Tyſiphone pronuba, &
Signator Orcus; liberi ſtabulas dabunt,
Fietq; gemitus arrha ſponſalis tua,
Et liberorum ſtriduli manes canent
Feſtum hymenæum: conjugales lampadas
Furiæ rotabunt; Baccheus liquor fluet
De Ditis amne; Belides undas tuis
Epulis refundent: omnis Vmbrarum chorus

Menſis

Mensis recumbet: Nunc I in thalamos novos
CHO. Quid illa contrà? NUN. Dulcis ut
Luscinia,
Quam nascituræ suave Matutæ melos
Modulantem, aduncis unguibus milvus rapit
Consumpsit ipsum spiritum nimio metu:
Sic illa postquam sensit infaustos domus
Diræ apparatus, hausit & truces sonos,
Collapsa sensum fudit, & morti vicem
Dedit ante mortem. Tantò Atossa sævior
Ceu torva prædam Tygris abreptam fremens,
Fugisnè? clamat: Mortis & præoccupas
Moriendo sensum? quanta pars mei perit
Si sic peribis? Ite, fomentis fugam
Latentis animæ siltite: Hic matrem par est
Simulare Atossam: Nata, quos thalamos fugis?
At illa sicut imbris effusa rosa,
Gravis ruinâ, flaccidas vergit comas,
Ægrè refecta, languidum obliquans caput,
Moriente voce, scire delictum rogat.
Mixtoque fletu liberi veniam petunt;
Ah parce matri, parce dilecta avia!
Atossa nihilo mitior contrà increpat,

Roxana,

ROXANA.

Roxana, pellex Regis, & pellex mei,
Disce abstinere conjuge alieni thori,
Contaminare regias tedas time,
Si mortuorum sensus in formas novas
Post fata migrat obita, tunc Disce & Time.
Vitæ minimum nunc restat extemplo nihil.
Ad hos irriguit illa tam diros sonos,
Et ô Deorum, si quis in cælo regis,
Et ô Piorum, si quis inferno lates,
Vos testor (inquit) prodidit fidem meam,
Vitamq; Oromasdes; simplicem elusit dolis:
Quæ nunc precabor astra? quem flectam Deum?
Quod numen exorabo nisi numen tuum,
Regina, quotocunque fas ritu deam
Misera precari. Pone non totas Dea
Iras, sed minue quantum est feminæ pati:
Vel serva vivam, major huic Regi dolor;
Vel sola moriar, majus hoc Divæ decus.
CHO. Atossa non has flebiles cepit preces?
NUN. Vt sanguinata Tygris hircanis jugis,
Cautesq; crebris fluctuum Marpesia
Pulsata nimbis, ridet insani maris
Iram impotentem, nec suo cedit statu.

Sic

Sic illa ſurdis auribus fregit preces,
Verbiſq; parcit, & ſuum aggreditur ſcelus,
Primoque tortis expediri præcipit
Flagella nodis: imperata tardior
Vrget miniſter, & roſeam crebris cutem
Plagis aravit, lividi vibicibus
Sulſi tumeſcunt, corpus & totum fuit
Pro vulnere uno: ſæpe vibratum ſuo
Lorum flagello adhæſit, invitum & ſcelus
Tardè peregit; ſæpe ceu tabulis latex
Ruptis aqualis exilit fuſus cruor,
In ora Atoſſæ purpura gutta pluit,
Tingens pudore debito invitas genas:
At illa ſpumas ſanguinis læta accipit,
Vt ſicca tellus lucidos imbres bibit
Torrente Cancro: ſæpe puerorum indoles
Pro marre poſuit terga ſuccedanea,
Prohibente matre; dulcis & contentio
In re dolenda mutua pietas fuit,
Dum matri ſoboles, mater & ſoboli timet.
MOL. Hujus cruoris dulcior latex mihi eſt
Quam fons Lyæi, nectar aut ſummi Iovis.
NUN. Atoſſa poſtquàm ſanguinis ſatis ſa-
tim
Primam rigavit, majus orditur nefas,
Gladiumq;

Gladiúmque dextrâ matris invitæ locans,
En (inquit,) ista sceptra Roxanam decent,
Regina causam pellicis dijudica. (Minos.
MOL. Sic, sic decebat; æquus hoc statuit
NUN. Fulgore gladii pignus utrumq; territum
In matris ulnas cessit, atq; arctis latus
Manibus premebant, pampini ut vitem premunt:
Quos illa raptim matris avellat sinu
Gladioq; sistit, & recusantem manum
Cogit, trementem firmat, errantem regit
In liberorum pectus, & flexum caput
Matris reducit, cernat ut vulnus suum.
Pungisne natum, mater? infelix puer
Clamat: Ferisnè, clamat illa, filiam?
Sic impiatam non suo scelere manum
In prolis egit viscera, & in se sui
Ebullientis sanguinis rorem hauriit,
Vivi ut metalli exustulata grandine:
Nec misera mater quæstubus vanis iter
Suffecit, alto sed rigens animus metu,
Quærebat fata Niobes; sed torvum furens
Regina, Sponte, dixit, ordiris mori?
Invita morere, dumq; te sentis mori.

Sic fata, gladium merſit in lævum latus,
Capuloq; adegit; atque luctanti viam
Animæ recluſit: Illa ne natos ſuos
Premeret, ſeorſim cecidit. CHO. O nulla ſcelus
Voce exprimendum! NUN. Frænat affectus ſuum
Adhuc dolorem: magna pars mali ſilet.
CHO. Nondum ſtupendum facinus abſumpſit ſcelus?
NUN. Quem rere finem, paivus eſt mali gradus.
CHO. An inſepultum dedecus cælo dabit?
NUN. Dabit ſepulchrum. CHO. Vile? NUN. Regium nimis.

Actus Quartus.

Scena Secunda.

Argumentum.

Cognito Beſſi adulterio, beneficia ſua in eum collata recitans Oromaſdes, ſe in vindictam parat.

Oromasdes.

Dii conjugales, & genius cuſtos thori,
Fidesq; primis apta, quæ procul loca
Vos nunc recondunt? an rigido brumæ gelu
Damnata Thule? an exules terræ malis
Cæli receptat aula? ſed nomen merum
Nunc eſſe jure conſtat & fas & fidem.
Quando illa rupit clauſtra genialis thori,
Et turpi amore lucidam famam ſui
Strinxit pudoris; caſtitatis unicam

Luxisse quam decebat exemplis facem.
Et ille adulter conscius nostri thori
Factus sequester, cujus officium & fidem
Mea promerebant merita; terræ filium
Re, spe q; cassum, in debitis honoribus
Erexi in altum, & proximo fixi gradu,
Summisq; rebus consulem, & fidum caput
Mihi fecerim; præter & legem thori,
Titulumq; Regis, cætera haud impar fuit.
Nunc ille equestris factus, Auriga impotens
Omnes habenas fundit, & modum sui
Tenere nescit, forsan & sceptri decus
Perstringit oculos impotentes, & jubar
Regni resplendens forsan aut omnem dolum
Roxanæ refert, ille secreti fidem
Nunquam recondet, qui violat thori fidem.
Ergo antè cordi lingua quàm pandat viam,
Caput amputetur: illa secreta latent
Quæ nemo novit arbiter: minùs timet
Qui non timetur. Vtar hoc recto Deûm
Favore, per quos dedecus turpe hoc thori
Secreta nutrix prodidit. Et nunc exilit
Adulter ovans gaudio, & tripudiat
Io triumphe: Macte sis Besse hac tuâ
Virtute: Lata dabitur ad cælos via.

Actus

Actus Quartus.

Scena Tertia.

Argumentum.

Exultantem Beſſum præ Reginæ concubitus gaudio rapit Oromaſdes, & inexorabilis ad miniſtros morti cruciandum tranſmittit.

Bessus. Oromasdes.

Bes. NVnc hic licebit liberè quidvis loqui.

Oro. Licet morituris liberè quidvis loqui.

Bes. O Lux venuſta, clara ſolis filia!

Oro. At ſæpe claram complicat nubes diem.

Bes. Auro & purpureis conſecranda literis.

ORO. Et purpurantì sanguine hoc fiet tuo.

BES. Te diva credo ex gaudiis natam Venus.

ORO. Frustrà es; cruore patrio nata est Venus.

BESS. Inter supremos cælites sola es Dea.

ORO. At insolentes sentiunt Nemesin Deam.

BES. Victor triumpho; castra devicta occupo.

ORO. At sæpè pars devicta victorem premit.

BESS. Horti spolia Dracone sopito tuli.

ORO. Quem dormitare credis, attendit magis.

BES. Nunc mala victor Hesperidum fero aurea.

ORO. Cur ominosa verba jactas nescius?

BES. Cœlo recludam sicut Alcides viam.

ORO. At is per Orcum stravit ad superos iter.

BES. Super aſtra celſus gradior & limen poli.

ORO. Quo ſubveheris altiùs, graviùs cades.

BES. Tibi Dione debitus laudes canam.

ORO. Sic ante læthum præſcius cygnus canit.

BES. Malumnè mordet faſcinum ſortem meam?

ORO. Momordit, & jam diſſecat filum tuum.

BES. Quid hoc? cor dubiis pulſibus calcat latus?

ORO. Molitur inde tranſitum quem nunc dabo.

Agite miniſtri, juſſa tranſmittat fides.

BES. Eheu, me miſerum! verſor in Orci limine:

Per te, per veterem gratiam, per vitam tuam.

ORO. Ceſſatis? & vos flebilis tangit dolor?

BES. Moram loquendo proroga, vitam nega.

ORO. Æquale fatum ſentiat ſi quem premat

Similis reatus. Turpe mittatur feris
Rapidis cadaver: Tuta nunc nullum fides
Teſtem timebit noſtra. Securo loco
Roxana conſtat. Tota ſuſpitio malæ
Linguæ ſepulta eſt: conjugis ſupereſt bonæ
Amolienda cura. Quid nunc conſulis
Amor metuſque? Lege maculoſam thori
Injuriamnè vindicabo? & Regis dedecus
Per ora curret, inſanos & plebis jocos?
Tacitusne factum patiar elabi, & meas
Curas vorabo, ſicut offenſæ impotens
Reponere iras? Plura mereatur pati
Quicunque patitur immerens injurias.
Sed conjugis famula obvios tendit gradus:
Damiana, quid tu? quid Atoſſa nuntiat?

Actus

Actus Quartus.

Scena Quarta.

Argumentum.

Atossa natalem celebratura Damianam mittit invitandum epulis Oromasden, qui ut injuriam vindicet, se convivam promittit.

Damiana. Oromasdes.

Dam. Regi salutem, & prosperos annos rogat
Atossa divos, teq; convivam suis
Epulis precatur, more quas anni statò
Natales celebrat: hunc diem conjux tuâ
Augustiorem credit ex presentia.
Oro. Promitto: Nunc consilii vires explica
Anime; quid hæres? quid pietatem respicis?

Sequetur

Sequitur illa: Rebus utenti pio
Esse otioso licet: Is frustrà est pius
Cui vita dubitat. Tolle turbantem obicem,
Sed tolle per te, non benè vitæ creditur
Negotium, nisi cui id expedit mori.

Actus Quartus.

Scena Quinta.

Argumentum.

Chorus lentam nimis Divûm vindictam montes & quercus sæpius percutere, hominum rarò plectentem scelera queritur, tandem miserum servitutis fatum, luget, quæ sit regij sceleris particeps.

Chorvs *ex quatuor.*

PAter altitonans, quem Syderei
Cortina poli tremit, & liquidum
Aeris æquor, si res hominum
Cernis, & omnes penetras tractus.
Oculi radiis, cur non scelera
Vindice dextrâ, plectis, & iras.

Tam

ROXANA.

Tam lentus agis murmure cæco ?

2 Nubes genit, & radii currus
Per rupta micant latera, montes
Sæpe involves fulminis ictu,
Atque superbas fumida quercus
Tua teda rapit ; sed mala nostri
Generis raro fulmine plectis.

3 Ad tua quondam fata Thyestes
Flexit refugam lampada Phœbus,
Et cæruleo proluit haustu
Nondum emeritos fine jugales :
Non minor hæc est causa latendi
Et digna tuo Phœbe exilio.

4 Nunc vel geminos deserat Arctos
Squammosus Draco, novus Herculeæ
Virtuti labor ; aut bis senis
Rutilum signis fugiat limbum
Astræa polo pronior imo ;
Aut lunatum torqueat arcum
Chiron semivir, atq; sagitta
Feriat terras ; aut monstrum aliquod
Fiat, in ævum quod vetus abeat.

I Sed nos intrò vocat obsequium
Atossa tuum; pariter nocuas
Tua noxa facit: Regum fatum
Sæpe & famulos premit immeritos.

Actus Quintus.

Scena Prima.

Argumentum.

Atossa se inauditum scelus perpetrasse gestiens, ad novas stimulatur iras in Oromasden, cui dapes mortiferas præparat, haud ullo suasu obsecranda.

Atossa. Chorus.

Atos. AVræ fluentes atque veni flamina
Quæcunque fertis expedita nuntia
Per lata terræ climata, & cæli plagas,
Cùm vos Hesperiæ remiges alæ vehant
Dictum hoc Medeæ dicite, ne superbiat,
Cristasq; tollat propter antiquum scelus:
Atossa majus hoc dedit, & majus dabit,
Nec fel Draconis, Noctuæq; sanguinem,
Nec heu petivi Cantilenas Thessalas.

Sed omnis herba luridi ſucci abfuit,
Novendialis raptus a buſto cinis,
Et luna pallens, ad tortu plicatos ſonos.
Hoc quicquid eſt ab uno in uno pectore
Natum, & petitum eſt; hanc nemo laudem
dividet:
Vivax ingenium, voſque fælices manus
Vltum eſt abunde, & ipſa quod fateor ſatis.
Ah, jamne ſatis eſt? tam breves iras alis?
Si ſic quieſcas vanuit totum ſcelus:
Extende pœnam, tangat Oromaſden dolor.
Hæc velitavi; reſtat ardor prælii:
Torrens recentis ſanguinis rigat manus:
Adhuc ſitio; oculus expleri nequit.
I, nunc miniſtras convoca, dapes parent,
Menſaſq; plenas regiâ pompâ ſtruant:
Lymphæ fluentis lucidos hauſtus date
Vt ſanguinatas rore ſuffundam manus.
Qualis cruori ſplendor, & nitens rubor?
Ægrè refundo, ſic manum bellè decet,
Ceu purpuriſſans mixta liliis roſa:
Tamen refunde manibus, ut ſitiant magis.
CHO. Atoſſa quales conjugi dapes paras?
ATO. Solenne moris annui convivium
Quod Regem deceat, Regis & ſponſam novam:
Amavit

Amavit ille liberos, & pellicem,
Vitæ potentes, ut nihil par aut supra,
Et quemnè credis suaviorem mortuis
Cibum parare posse? CHO. Quantum est hoc nefas,
Quod nesciens admittet? ATO. hæc pietas foret
Si se miserum nesciret; at sciet miser.
CHO. Cur sic corollam bracteatam respicis?
ATOS. Succus veneni laureas tingit comas:
Hæc implicabit aureum vini Scyphum,
Vnde ille Bacchi nectar, & mortem hauriat.
CHOR. Etiam marito sæva moliris necem?
ATOS. Nihil Thyestem, Tantalum nihil supra
Conabor, hoc unum sit exemplum mei.
CHO. Vnde hic Atoſiæ pectori insævit furor?
ATOS. Mirare potius, quod tonante buccina
Non Bactria tota quatiat, & armatæ solum
Premant

Premant cohortes, flammeâ quòd non pice
Collucet aula, & sanguinis spumas agens
Violentus Oxus pingat Hircanum mare.
Mirare, tantum quod leviter plecto scelus.
CHO. Vacare debet scelere quæ plectit scelus.
ATOS. Injuriam semper in bello par est
Querela utrinque. CHO. Feminam incautam dolo
Sed prodidisti: ATO. Dispari non sunt loco
Virtus doluſque in hostibus. CHO. Num femina
Hostile nomen patitur? ATO. Inter feminas.
CHO. Roxana te nescivit, & sortem tuam.
ATO. Et femina omnis odit ignotam æmulam.
CHOR. Insons at hujus criminis proles fuit.
ATO. Effectus at hujus criminis proles fuit.
CHO. Cur addidisti cædibus culpam thori?

ATO.

ATOS. Vindicta sceleris sola persimile est sceleri.
CHO. Rex vindicabit ista. ATOS. At conjux regia
Iam vindicavit. CHO. Non decet ferrum tuam
Atossa dextram. ATO. Sed caput minùs decet.
CHO. Quid fæminis cum Marte? ATO. Quid Veneri & viris?
CHO. Regina metue, vindices rarò Deos
Scelera prætereunt. ATOS. Ista memorato piis,
Præceps casurus respicit terram, haud polū;
Sed jam tyrannus tendit ad cænam gradum:
Nunc læta fronte verba simulata feram.

Actus

Actus Quintus.

Scena Secunda.

Argumentum.

Fruſtrà monitus ab Arſace Oromaſdes parat ſe ad Atoſſæ convivium, uterq; ſimulantes mutuis fruentur amplexibus.

Oromasdes. Atossa.

Oro. Quamvis ſenator providus longos metus
Vitare monet, & pellicis notos dolos;
Tamen impotentem provehunt ira & furor,
Animoq; fixum & tædia, & graves moras,
Metusq; nunc finire. Rem facilem dabit
Corolla ſuccis illita, & virus malum
Spirare docta: Totus internus furor

Velo

Velo latebit: vultus iratum neget.
ATOS. Pax alta, Divi prosperi, & ridens salus,
Regis secundent vota: mihi lætum diem
Mututa luxit; Regis ut præsens favor
Ceu sidus aliquod clarius spargit jubar.
ORA. Redde expeditos conjugi amplexus: (Dolor
Parùm recede) Clarus hic dies mihi
Natalis elucebit. ATOS. Oromasde inclyte,
Sic gratiarum tencor, ut quantò magis
Rependo, tantò debeam. (Furor sile.)
ORO. Ergo accumbamus. ATOS. Regium votum meum est.

Actus Quintus.

Scena Tertia.

Argumentum.

Atossæ *fanstum precatur natalitium Chorus.*

Chorus *Canit.*

Geniale sacrum principis almæ
Currens restituit vagus annus,
Matuta Iubar roseum fusco
Condidit ortu, verita formam
Atossa tuam: sed tibi felix
Semper veniat, redeat annus.

Actus

Actus. Quintus.

Scena Quarta.

Argumentum.

Inter epulandum convivæ Oromasdes & Atossa dapum suarum uterque depromunt fercula, hæc Roxanæ liberorumque ejus, Sisimithræ ac Ariaspis capita; ille Bessi: tandemque invicem exprobrantes scelus, ex veneno sibiipsis utrinque admixto furentes extinguuntur.

Oromasdes. Atossa. *Moleon. Arsaces.*

Oro. HAbet, paractum est; affer huc dapes meas.

Mol. Nunc ultione sicca turgent lumina,
Et corrigatum cæde spumantem halitum
Ructa

Ruſtat cruoris; dicite crudeles manes
Poſt ſtupra, cædes, toxica, & humanos cibos,
Ecquid ſuperſtat? Suſpitio, luſum eſt ſatis;
Vtrinque mors eſt cæpta: quod reſtat Furor
Pœnæque peragant: nunc cineres mollis meos
Pulvis ſuperſtat, & novæ cingant roſæ.
Oro. Atoſſa dulce ferculum dabo tibi:
Si fortè Beſſum noveris, ſume hoc caput:
Dudùm placebat, fruere deliciis tuis;
Nunc oſculare, & in regium thorum vehe.
Atoſ. Agnoſco vultus ſigna; ſat certè cibus
Placet palato: Diffiteri gratias
Regale non eſt: mutuæ fient vices,
Epulaſq; reddam, quas cerebrum credas Iovis.
En rara menſæ gloria, & dapum ſtrues!
En delicatam geminis cum pullis avem!
Non iſta volucris orbe de noſtro venit,
Sed per longinqua maria, per terras vagas
Sylvâ prehenſam vexit hûc annis decem
Expertus auceps: luxus hic Regem decet.
OR O. Quale monſtrum cerno? qualis ſpecies

ſpecies rerum eſt hæc impia?
Lucidi curcus Polorum, tuq; ſidereus pater,
Cur jubar clarum refundis intuendis triſtium
Scelerum ſpectris? & coruſcum nube non condis caput?
Flammeumque lucis oculum ferrugineo ſyrmate
Noctis involvis? genúſque ſepelis humanum in Chaos?
Suſtinetis intueri triſte dirumque hoc nefas
Oculi crudeles, nec exilitis imis ſedibus?
Nec meum pectus creſcit in marmor gelu?
At tu leæna ſtirpis, haud noſtræ indolis,
Non una ſub te Scylla, non una impotens
Medæa latitat: omne ſed æui dedecus
Opprobrioſum: quicquid infamem decet
Stabulatur in te: Qualis Hircanis jugis
Altrix leonum ſaltus, & cautes tuos
Incruſtat artus Caucaſi: O pectus ferax
Vel mille furiarum. ATO. Quanta pro me duceret.
Lamenta regis charitas, de pellice
Quæ ſic ſolicita eſt? Intima amplexus Pater
Natiſq;

Natiſque, conjugique: Quàm te diligunt
Corporibus orbi, qui venire ſuſtinent,
Regem ut ſalutent. ORO. Mænas inſana impio
Stimulos dolori ſubdis? & tantùm in nefas
Furibunda ludis? O Furia quoque Scyllæ
Pudenda vel Medeæ, Furiiſque omnibus!
Sed ſi cruentum, quod tuis oculis jubar
Scintillat, iſta cæde reſtinxit ſitim
Defuncta redde membra, quod & hoſtes ſinunt.
ATO. Dedi, daboque: ſtulte, quoſnè habes, rogas?
Conjux voraſti conjugem & natos pater?
Quid animus hæret? tam citò evadis fugax?
Revocato lapſum? magna pars ſceleris perit,
Ni vivat ultra, & ſentiat malum ſuum.
ORO. Poſt iſta ſcelera ſuſtinet cælum ſua
Durare lege? nec ſolutis orbium
Clauſtris, ruinæ mundus incumbens tuæ
Te noſq; lepelit? ſentit hoc tantum nefas
Ignava Tellus, nec fatiſcens præcipes
Aperit hiatus, & ſuo rictu vorat
Pariter nocentes? Phæbe nunc flammis tuis

Flagrare mundus debuit; & tuo parer
Tridenti diro fulmine involvi domos:
Pelagus malorum cerno, quod non littorum
Latus coercet, nulla quod vincat ratis.
Roxana conjux, chare Sisimithra puer,
Tenella Ariaspe, ubi estis? inter viscera
Heu obloquuntur: quos habeo: desidero;
Quos tango nequeo tangere: amplecti volo
Quos undique amplector; tam prope, quàm sunt procul?
Cur mortuos non viso, cujus maxima
Pars mortis est, & mortuis præbet locum?
O versa rerum jura! Sub natis pater
Superstes esse debet, at in me mei
Rediere nati: Nunc quater geminus Gygas
Ter aucta gesto membra, terque auxit dolor;
Exhauriendis una sed lingua est malis.
Os claude limen vocibus, crescit dolor
Dolendo. At oh reclude, ut hinc ebullient

Gemitus

Gemitus meorum; condat æternus ſo-
por
Oculos profanis impiatos viſibus:
Sed pateant potius, ut quod in me non
menm eſt
Videant ſceleſtam cædis Authorem mori
Gladio recludam viſcera, at ſic conju-
gem
Natoſque vulnerabo; propter vos mihi
Parcam nocenti! ATO. Ponere hanc
curam potes
Compendioſam, namque læthalis tuas
Iam vis veneni decoquit venas miſer,
Quod de coralla fluxit in laticem meri.
Nunc ſe explicavit pœna, vindictæ ſat
eſt
Quod ſentias te miſerum: ſed id unum
abfuit
Interfuiſſes conjugis cædi, & tubis
Ebullientem combibiſſes ſanguinem:
Te neſciente dextram merſi in latus,
Et corda fibris rupta compreſſi manu,
Animaſque quiddam ſtridulum & fiſtos
ſonos
Singultientes, ſanguine extinxi ſuo:

Nec tu trementes videras artus focis
Stillare saniem, nec verubus fixum je-
cur
Iam palpitare, noctuas nec tu truces
Circumvolare tecta, & ardentis veru
Laniare carnes igne fumantes suo.
ORO. Vicisti Atoss, nec meriti parte extima
Illam repono gratiam, per te innocens
Quod mox abibo: tota laus sceleris tua
est.
Sed non inanes sontios dici deos,
Respexit in te Nemesis, ultrices Deæ
Mox insequentur: errat in venis tuis
Virus Draconis noxium: fato pari
Invita defungere: victi vicimus.
ATO. Super Cadaver hostium dulce est mori.
Non sola jaceo: Magna majorem ru-
ens
Premo ruinam: Nobili hoc fato mi-
nor
Essem superstes: Nunc ad Orcinam do-
mum
Ibo, & recenti gloria facti fruar.

ORO.

ORO. Dominatur intùs peſtis, & totas furens
Vorat medullas, atq; jam fato novo
Iterum peribunt liberi & conjux mea.
Sed devoretur dolor, Atoſſa ne novos
Ducat Triumphos : Nemo nunc inter meos
Aſtat morienti ? Arſace, te deſidero
Quem pietas ſolum diligit, ſolum fides ;
O fida dextra! cernis horendum ſcelus,
Vivum ſepulcrum conjugem, natos, patrem,
Vnum cadaver, feminæ infando dolo
Regem jacentem : cura nunc regni tua eſt.
ARS. O triſte rerum ſpecimen, ô fata impia !
ORO. Gliſcit veneni fervor, atq; omnes vias
Rimatur animæ : limen inſiſto Stygis.
Salvete Manes ; umbra venio multiplex ;
At tu ſcelestа ſequere, ſupplicio tuo
Non unus Orcus ſufficit ; & Tartara
Anguſta tantis noxiis. Quantum eſt tamen,

Vndas fugaces Tantalus tradet, Rotam
Ixion addet, Belides humeris tuis
Vrnas resignent, Syſiphus ſaxum dabit;
Tota excitabo Tartara in pœnas tuas.
Diſcurrit oſſa peſtilens ſucci vapor,
Vitamque quærit; palpitat pugnæ impotens.
Cor tremulum: Iamque luminum tot ſvæ faces
Tanquam Cometæ fulgurant, ſævum jubar
Salit, minatur, fluctuat, frendit, tremit,
Intùs remugit, friget & ſuſpiria
Profunda ducit; Mænas ut Nyſæ jugis,
Cum Baccha totum pectore excepit Deum.
ATOS. Quid hoc? citatis aera inſiſto rotis,
Tractuſque plenos nubium curru ſeco?
Caligo quanta? Phæbus immerſit diem,
Meumq; fugit facinus: ô magnum decus!
Noctuæ tardos agitate currus
Et recedentem revocate Solem,
Cernat invitus facinus peractum.

Dux

ROXANA.

Dux ſerpentigeri Sol inquies arbiter anni,
Siſte pater currus, & fulvam lampada verte;
Torva Meduſæi non ſunt hæc Gorgonis ora.
Quid fulminantem Iupiter criſpas manum?
Vibravit in me fulmina; Cado, cado.
Et hæc & illa fecimus Minos, ſcelus
Hoc omne noſtrum eſt: Beſſus hinc nihil auferet;
Tormenta tanta ſola perpetiar Minos,
Vel deme partem; denegas? patiar, age.
Dilaniet vultur, rota torqueat, urna fatiget,
Poma negent, ſaxum recidat, mors opprimat, una
Hæc cuncta ſuſtinebo: quid ſuprà deeſt?
Fugite impudentes Lemures; Siſimithra puer,
Roxana, conjux parcite, Minos avocat:
Abite volucres peſſimæ: Sequar, ſequar.

FINIS.

Imprimatur; *primo die Martii* ANNO SALUTIS NOSTRÆ *Milleſimo Sexenteſimo Trigeſimo ſecundo.*

Per me HENRICUM HERBERT.

Excusum Londini, typis R. B.
sumptibus Andreæ Crooke, &
venum dantur, ad signum nigri
Vrsi, in Cœmiterio Paulino,
MDCXXXII.